MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80159-14

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KRUG, WILHELM TRAUGOTT

TITLE:

SPINOZAE DE IVRE NATURAE SENTENTIA...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1825]

Master Negative #
91-80159-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

193Sp4
FZ8
v.2

Krug, Wilhelm Traugott, 1770-1842.
Spinozae de ivre natvrae sententia denvo examinata; symbolarvm ad historiam philosophiae particvla qvarta qva philosophiae doctorvm et LL. AA. magistrorvm creationem annvam d XVII. Febr. a. MDCCCXXV ... nvntiat Gvilielmvs Travgott Krvg ... Lipsiae, Literis Staritii [1825]
15 p. 23cm.

Volume of pamphlets.

(Continued on next card)

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/14/91 INITIALS MED
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

1935p4 FZ8
2

Columbia University
in the City of New York
LIBRARY

Spinoza Ethics
F 281

SPINOZAE
DE
IVRE NATVRAE SENTENTIA
DENVO EXAMINATA

SYMBOLARVM AD HISTORIAM PHILOSOPHIAE
PARTICVLA QVARTA
QVA
PHILOSOPHIAE DOCTORVM
ET
LL. AA. MAGISTRORVM
CREATIONEM ANNVAM
D. XVII. FEBR. A. MDCCCXXV.
IN ORDINIS PHILOSOPHORVM CONCLAVI
PERACTAM
NVNTIAT

GVILIELMVS TRAVGOTT KRVG
EIVSD. ORD. H. T. DECANVS.

LIPSIAE
LITERIS STARITII, TYPOGR. VNIVERS.

193 Sp 4
FZ 8 v. 2

Homines societatis vinculo obstrictos sine legibus vivere non posse, quae, quid sit iustum et iniustum in actionibus humanis, constituant atque eos, qui iniuste fecerint, poenis quibusdam afficiant, populi omnes paullo cultiores intellexerunt. Hinc apud hos populos homines quoque exstiterunt, qui non solum tales leges ferrent, sed etiam, ut praeceptis suis maiorem conciliarent auctoritatem atque vim, saepenumero ad deos ipsos confugerent atque ista praecepta tamquam oracula divina civibus suis commendarent. Quamvis autem populi plerumque legibus hac ratione sancitis eo lubentius obtemperarent, quo magis commoda exinde in ipsos redundantia perspicerent, fuerunt tamen etiam singuli cives, qui legibus istis obedientiam denegarent, imo eas tamquam iniustas vituperarent adeoque prorsus abrogandas censerent. Hinc inter viros, qui paullo serius de istis rebus cogitarent atque altius in earum causas inquirerent, gravis oborta est contentio. Si enim lex constituit, quid sit iustum et iniustum, recte quaeri potest, num ipsa et sola lex fuerit principium totius huius discriminis, ita ut, si legislatori placuisset contraria statuere, iustum pro iniusto et iniustum pro iusto habendum esset. Quodsi ita est, quo tandem modo eadem lex iniusta vocari potest? Sin autem lex illa non est principii loco

habenda, quidnam aliud est tamquam principium iusti et iniusti ponendum et ubinam hoc quaerendum? — Brevius et concinnius hanc disceptationem ita enuntiabant ii, qui philosophi audiebant: Estne omne iustum *lege* (*δικαιον νομῳ*) an est etiam aliquid iustum *natura* (*δικαιον φυσει*)?

Quamvis autem essent, qui illud primum affirmarent — inprimis e numero hominum serviliori ingenio praeditorum, qui potentioribus tamquam latoribus legum ad eorum benivolentiam captandam adulari solent — plurimi tamen, iidemque erectioris animi, in alteram abierunt sententiam, contendentes, esse aliquid iustum ipsa iam natura, absque legibus humanis, constitutum. Propterea etiam duplex ius agnoverunt, alterum *naturale* imo et *divinum* dictum, quatenus natura vi ac voluntate dei sit progenita et ordinata, alterum autem *positivum* vel *statutarium* vel *arbitrarium* et *humanum* nuncupatum, quatenus hoc ius arbitrio hominum positum sive statutum sit. Et cum iidem illud ius tamquam normam proponerent, ad quam hoc regeretur et conformaretur, illud etiam *normale* ius vocatum est. Eadem ratione legem ipsam, e qua tamquam fonte ius emanat, duplicem esse voluerunt, *naturalem* alteram et *divinam*, quae unica sit et aeterna, *positivam* alteram et *humanam*, quae varia sit et multiplex et ad tempus descripta, adeoque mox vigeat mox obsolescat, et hanc ipsam ob causam ne digna quidem sit sancto legis nomine. Ad quos philosophos etiam *Cicero* pertinere videtur. Is enim de legibus disserens et ab his *popularibus* legibus *coelestem* illam legem bene distinguens: „Hanc video“, inquit, „sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque ho„minum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse popu„rum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum rege„ret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem „illam et ultimam mentem esse diccbant omnia ratione aut co„gentis aut vetantis dei: ex qua illa lex, quam dii humano ge„neri dederunt, recte est laudata. Est enim ratio mensque „sapientis ad iubendum et ad deterrendum idonea.“ (*Cic. de legg.* II, 4. quocum loco conferendus est simillimus *de rep.* III, 22.) Quapropter idem auctor paullo post (cap. 5.) legem ipsam ita finit: „Ergo est lex iniustorum iustorumque distinctio, ad il„lam antiquissimam et rerum omnium principem expressa natu„ram, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio im„probos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.“ Cui finitioni Quintus frater cum Marco colloquens ita adstipulatur, ut dicat, aliam ullam non modo non habendam, sed ne appellandam quidem esse legem.

Verumenimvero, admisso iam illo discrimine duplicis iuris, nova dein exarsit controversia de notione iuris ipsius naturalis. Cuius quidem controversiae fons latet potissimum in voce *naturae*, quae varium admittit sensum, prouti latius vel strictius intelligatur. Quum enim ius quoddam naturae appellatur, recte quaeri potest, de quanam natura sermo sit, utrum de illa *communi*, quae res omnino omnes, coelum ac terras, plantas et animalia una cum hominibus ipsis complectatur, an de hac *propria*, quae nobis tamquam animantibus ratione et libera voluntate praeditis insit. Artis vocabulis uti si velis, possis hoc discrimen etiam ita enunciare, ut dicas, vocem naturae modo *materialiter* modo *formaliter* intelligi. Nam qui communem illam naturam cogitat, mente complectitur omnem quasi mundi mate-

riem et compagem; qui autem hanc propriam innuit, eius animo obversatur hominis potissimum forma. Haec enim forma non ad corpus solum hominis spectat, sed etiam ad animum, quippe qui non secus ac corpus sua indole suisque facultatibus et viribus gaudet, inter quas illa tamquam rectrix et moderatrix reliquarum omnium eminet, quae *ratio* appellatur. Unde et philosophi recte internam hominis formam ab externa distinguunt.

His praemissis ad viam nobis aperiendam et praemuniendam, progrediamur iam ad certam quandam de iure naturae sententiam eamque accuratius perpendamus. Innuimus autem illam, quam Benedictvs de Spinoza, philosophus celeberrimi quidem nominis, sed pessimae apud quosdam famae, proposuit. Causa, quae nos movit, ut huius potissimum viri de iure naturae sentcntiam sub examen vocaremus, facile occurret iis, qui animum attenderint ad philosophiae studium, quale apud nostrates viget. Fuerunt enim multi recentioris aevi et patriae nostrae philosophi, qui commoti auctoritate praeclari ingenii, quo Benedictus noster (nostrum dico hominem iudaicae quidem gentis, sed veri amantissimum, ut philosophum decet, quamvis errori obnoxium, ut sors humana fert) excelluit, philosophiam eius paullulum inflexam et, ut invidiam averterent, alio nomine exornatam in vitam quasi revocare conarentur. Et, nisi me omnia fallunt, Berolinensis quoque ille philosophus, qui nuper in libro de iure naturae conscripto paradoxon hoc proposuit: „*Was vernünftig ist, ist wirklich, und was wirklich „ist, ist vernünftig*“ — Benedicti nostri vestigia nimium quantum legit, ita ut ne novitatis quidem laudem sibi iure vindicare

potuerit. Nam et Benedictus accommodatissime ad suam de iure naturae sententiam dicere debebat: Quicquid vere est, recte se habet ac bene, adeoque etiam iustum et rationi consentaneum est. Sed ante omnia audiendus est ipse, ne sententiam philosophi perperam exposuisse videamur, quod saepenumero accidit iis, qui errores aliorum coarguere suasque ipsorum opiniones lectoribus commendare vellent.

Exposuit Benedictus noster suam de iure naturae sententiam eo libro, qui *tractatus theologico-politicus* inscriptus atque in *collectione operum Spinozae*, quam S. V. Pavlvs curavit, vol. I. pag. 141 sq. typis expressus est. Hunc librum auctor eo potissimum consilio, maxime quidem laudabili, scripsit, ut ostenderet, „libertatem philosophandi non tantum salva pietate et „reipublicae pace posse concedi, sed eandem nisi cum pace rei„publicae ipsaque pietate tolli non posse.“ Quod ut ostenderet, partim *theologicis* partim *politicis* usus est argumentis, quapropter et librum illum ipsum *tractatum theologico-politicum* appellavit. Ac theologica quidem argumenta plane iam omittamus, cum non sint huius loci. Ex politicis autem argumentis, quae maximam partem philosophica sunt, ea inprimis huc pertinent, quae cap. XVI. leguntur, ubi auctor „de reipubli„cae fundamentis, de iure uniuscuiusque naturali et civili, de„que summarum potestatum iure“ disserit. Haud longe ab ini„tio huius capitis (p. 359.) Benedictus noster ita philosophatur:

„Per ius et institutum naturae nihil aliud intelligo, quam „regulas naturae uniuscuiusque individui, secundum quas unum„quodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo „existendum et operandum. Ex. Gr. Pisces a natura determi-

„nati sunt ad natandum, magni ad minores comedendum, adeo-
„que pisces summo naturali iure aqua potiuntur et magni mino-
„res comedunt. Nam certum est, *naturam absolute conside-*
„*ratam* ius summum habere ad omnia, quae *potest,* hoc est, *ius*
„*naturae eo usque se extendere, quo usque eius potentia se*
„*extendit; naturae* enim *potentia* est ipsa *dei potentia,* qui
„summum ius ad omnia habet. Sed quia *universalis potentia*
„*totius naturae* nihil est praeter *potentiam omnium individuo-*
„*rum simul,* hinc sequitur, unumquodque individuum ius sum-
„mum habere ad omnia, quae potest, sive, *ius uniuscuiusque*
„*eo usque se extendere, quo usque eius determinata potentia*
„*se extendit.* Et quia lex summa naturae est, ut unaquaeque
„res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare, id-
„que nulla alterius sed tantum sui habita ratione, hinc sequitur,
„unumquodque individuum ius summum ad hoc habere, hoc
„est, uti dixi, ad existendum et operandum, prout naturaliter
„determinatum est. Nec hic ullam agnoscimus differentiam in-
„ter homines et reliqua naturae individua, neque inter homines
„ratione“ [i. e. rationis usu] „praeditos et inter alios, qui veram
„rationem ignorant, neque inter fatuos, delirantes et sanos.
„Quicquid enim unaquaeque res ex legibus suae naturae agit,
„id summo iure agit, nimirum quia agit, prout ex natura deter-
„minata est, nec aliter potest. Quare inter homines, quamdiu
„sub imperio solius naturae vivere considerantur, tam ille, qui
„rationem nondum novit, vel qui virtutis habitum nondum ha-
„bet, ex solis legibus appetitus summo iure vivit, quam ille,
„qui ex legibus rationis vitam suam dirigit. Hoc est, sicut
„sapiens ius summum habet ad omnia, quae ratio dictat, sive

„ex legibus rationis vivendi, sic etiam ignarus et animi impotens
„summum ius habet ad omnia, quae appetitus suadet, sive ex
„legibus appetitus vivendi. — *Ius* itaque *naturale* uniuscuius-
„que hominis non sana ratione, sed *cupiditate* et *potentia* de-
„terminatur. — Quicquid itaque unusquisque, qui sub solo
„*naturae* imperio consideratur, sibi *utile* vel ductu sanae ratio-
„nis vel ex affectuum impetu iudicat, id *summo naturae iure*
„appetere et quacunque ratione, sive *vi,* sive *dolo,* sive *preci-*
„*bus,* sive *quocumque demum modo facilius poterit,* ipsi ca-
„pere licet et consequenter pro *hoste* habere eum, qui impedire
„vult, quominus animum expleat suum.“

Ac primo quidem manifestum est, auctorem hoc loco voci *naturae* eum tribuere significatum, quem supra *materialem* diximus. Naturam enim *absolute considerari* vult ac propterea dicit, *universalem potentiam totius naturae* nihil esse praeter *potentiam omnium individuorum simul.* Eandem ob causam exemplum primarium ad illustrandam notionem iuris naturalis ab ipso constitutam non ab hominibus petit, sed a piscibus, qui quatenus aqua potiantur et maioresminores comedant, eodem iure utantur, quo res omnes ac singulae in natura obviae. Ait enim disertis verbis: „Quicquid unaquaeque res ex legibus „suae naturae agit, id summo iure agit.“ Et paullo ante: „Nec „hic ullam agnoscimus differentiam inter homines et reliqua na-„turae individua“. Est igitur communis illa natura, complectens et involvens hominem cum ceteris rebus omnibus, quae menti Spinozae obversabatur, cum de iure naturae dissereret.

Deinde vero patet ex his ipsis philosophi verbis, illud ius, quod *naturae* appellat, nullum aliud esse quam quod alii ius

fortioris dixerunt. Uti enim „pisces a natura determinati sunt „ad natandum, magni ad minores comedendum," ita etiam leones, lupi, aquilae, vultures, sicarii, latrones, tyranni, et omnes omnino, qui *fortiores* sunt „sive *vi* sive *dolo*," infirmioribus potiuntur eosque aut comeduut aut quovis alio modo sibi ipsis commodo tractant, idque faciunt „summo *naturae* iure." Ita autem verum et genuinum ius penitus everti, dubio caret. Ubi enim vis sive sola sive cum dolo coniuncta dominatur, ibi iustitiae locus esse non potest, quippe quae suum cuique tribuere debet, ita ut iura infirmioris non secus ac iura fortioris tueatur et eatenus infirmiorem reddat aequalem fortiori. Hinc iustitia ne agnoscit quidem ius fortioris, qua tale; nam si ius quoddam fortiori tribuit, id non ipsi tribuit, quatenus est fortior, uti nec infirmiori ius quoddam tribuit, quatenus est infirmior, sed utrique tribuit ius, quatenus est *homo* vel *natura ratione praedita.* Quando igitur de iure *naturae* disseritur, hoc vocabulum non materiali, sed formali significatu accipiendum est. Nimirum hominis naturam et eam quidem, quae rationis finibus circumscribitur, intelligere oportet illum, qui de iusto et iniusto atque de legibus in civitate latis aut ferendis recte iudicare velit. Ratio enim est summa legislatrix, quam ceteri omnes legislatores suspicere et sequi debent; illa fert primam iuris legem, ad quam tamquam normam omnes aliae leges de iusto et iniusto praecipientes dirigendae sunt. *Ius naturae* igitur, ut uno verbo dicamus, nihil aliud est quam *ius rationis;* ac profecto longe melius se haberet iuris scientia, si doctores iuris semper non nisi hanc formulam usurpavissent. Tum enim numquam incidere potuissent in eum errorem, ut iuris exempla peterent a bru-

tis animantibus atque fortiori ius quoddam ipsi proprium concederent.

Benedictus autem noster facilius, imo necessario, in istum errorem incidit, cum ex pantheismi sui principiis naturam et divinitatem unam eandemque haberet. (Cf. si placet *eusebiologiam* nostram §. 12. pag. 68 ss. ubi pantheismus ille accuratius est expositus et diiudicatus). Hinc enim recte, i. e. ad illa principia accommodate, concludebat: „*Naturae* potentia est ipsa *dei* po„tentia, qui summum ius ad omnia habet." Proinde etiam recte paullo post (pag. 361.): „Natura non legibus humanae ra„tionis intercluditur, sed infinitis aliis, quae totius naturae, cu„ius homo particula est, aeternum ordinem respiciunt." — Verumenimvero ad hunc ordinem pertinet vel maxime is, qui ex legibus iusti et honesti pendet, quas a numine summo, ipsius naturae conditore, acceptas ratio humana non nisi actionibus hominum tamquam normam praefigere potest. Quod enim ratione caret, nec praecepta rationis intelligere, nedum ipsis morem gerere potest. Hinc et veteres iurisconsulti vehementer erraruni, cum dicerent, *ius naturale* esse illud, *quod natura omnia animalia docuerit.* Si enim illud ius ad *omnia animalia* pertineret, etiam ad *plantas* referri posset. Nam plantae, quamvis pleraeque radicibus suis solo ita sint infixae, ut locum proprio motu mutare non possint, vita tamen gaudent et actione organica. Hinc Aristoteles aliique multi cum veterum tum recentiorum philosophorum etiam sensum et animam ipsis tribuerunt adeoque contenderunt, animalia et plantas non specie sed gradu tantum differre. Imo fuerunt, qui lapidibus quoque et metallis interiorem quandam et quasi latentem vitam et sensum

tribnerent. Quod si verum esset, notiones de iusto et iniusto ad eas quoque res, quae vulgo mineralia et fossilia dicuntur, referri deberent. Tum vero etiam nobis pacta inennda essent cum hisce rebus omnibus, bestiis, plantis, lapidibus, metallis, imo etiam cum montibus, sylvis, campis, pratis, fluviis, et quae sunt reliqua huius generis, ut secure et tranquille una cum iis vitam degere possemus. Quod quam absurdum sit, nemo non videt.

Sed revertamur iam ad Benedictum nostrum, ac videamus, quid de ipsis pactis inter homines incundis pro sua de iure naturae sententia docnerit. Probe intellexit vir sagacissimus, si omnia ex appetitus lege, sive vi sive dolo, agerentur, neminem vita, viribus et omnino bonis suis sive internis sive externis uti et frui posse. Semper enim verendum esset, ne iacturam faceremus non solum rerum ad vitam necessariarum sed et ipsius vitae. Propterea auctor noster pag. 562. ita philosophatur: „Quodsi etiam „consideremus, homines absque mutuo auxilio miserrime et abs„que rationis cultu necessario vivere, clarissime videbimus, ho„mines ad secure et optime vivendum necessario *in unum con*„*spirare* debuisse, ac proinde effecisse, ut ius, quod unusquis„que ex natura ad omnia habebat, collective haberent, neque „amplius ex vi et appetitu uniuscuiusque, sed ex omnium simul „potentia et voluntate determinaretur. Quod tamen frustra ten„tassent, si, nisi quod appetitus suadet, sequi vellent; ex legi„bus enim appetitus unusquisque diverse trahitur; adeoque *fir*„*missime statuere et pacisci* debuerunt, ex solo rationis dicta„mine (cui nemo aperte repugnare audet, ne mente carere videa„tur) omnia dirigere et appetitum, quatenus in damnum alterius

„aliquid suadet, fraenare, neminique facere, quod sibi fieri non „vult, iusque denique alterius tamquam suum defendere.“ — Provocat igitur hoc loco auctor ad *pactum* aliquod tamquam ultimum hominum refugium, in coque malis ex intemperata libidine pullulantibus remedium quaerit efficacissimum. At illo pacto numquam efficietur id, quod Benedictus vult, cum idem pactorum fidem non iustitiae sed utilitatis ratione niti suadeat. Disertis enim verbis pag. 563. statuit, „pactum nullum vim ha„bere posse, nisi *ratione utilitatis*, qua sublata pactum simul „tollitur et irritum manet.“ Si igitur cuidam pactum, quod cum aliis inierit, minus utile visum fuerit, si commoda sua sive vi sive dolo multo efficacius promovere atque augere potuerit, quam pacto, tunc omnino licebit ipsi pacto non stare aliosque pro lubitu tractare.

Neque hoc fugit Benedictum nostrum, qui, quid ex principiis quibusdam concludendum, fere semper acutissime perspexit. Cogitavit igitur de alio remedio ad securitatem et tranquillitatem omnium ac singulorum stabiliendam, idque invenisse sibi visus est in *summa potestate*, quam ita *absolutam* esse debere contendit, ut, si vellet, absurdissima adeoque etiam iniustissima et iniquissima imperare posset; quod quidem remedium nobis longe peius videtur malo, cui medela adhibenda erat. Sed ne iniuriam philosopho fecisse videamur, iterum ipsius verba adscribamus. Ita enim pag. 565. pergit in philosophando: „Ex „quo sequitur, summam potestatem *nulla lege teneri*, sed „omnes ad *omnia* ei parere debere: hoc enim tacite vel expresse „pacisci debuerunt omnes, cum omnem suam potentiam se de„fendendi, hoc est, omne suum ius in eam transtulerunt.“

„Quippe si aliquid sibi servatum volebant, debuerant simul sibi „cavere, quo id tuto defendere possent; cum autem id non fe„cerint, nec absque imperii divisione et consequenter destru„ctione facere potuerint, eo ipso se arbitrio summae potestatis „*absolute* submiserunt: quod cum *absolute* fecerint idque (ut „iam ostendimus) et necessitate cogente et ipsa ratione suadente, „hinc sequitur, quod, nisi hostes imperii esse velimus et con„tra rationem, imperium summis viribus defendere suadentem, „agere, omnia *absolute* summae potestatis mandata exequi tene„mur, tametsi *absurdissima* imperet; talia enim ratio exequi „etiam iubet, ut de duobus malis minus eligamus.“ — Gratulabuntur quidem sibi et summo gaudio exsultabunt amatores talis potestatis de praeceptis tanti philosophi auctoritate suffultis. Sed iidem bene caveant, ne imperium, quod ipsis largissime tribuit philosophus, statim corruat. Idem enim paullo post addit: „Summis potestatibus hoc ius, quicquid velint imperandi, *tamdiu* tantum *competit*, *quamdiu* revera summam *habent* „potestatem: quodsi eandem amiserint, simul etiam ius omnia „imperandi amittunt et in eum vel eos cadit, qui ipsum acquisi„verunt et retinere possunt.“

Vaeh miseris mortalibus, qui, ut secure et tranquille vitam agere queant, summae potestati absoluto imperio instructae subiicere se debent, nec tamen umquam secure et tranquille vivent, cum ius ita imperitandi amittatur, simulatque ei, qui aliquamdiu ita imperitavit, ab alio, qui fortior, potestas erepta fuerit! Sed quod locum habet in omni vita humana atque in omni scientia, id inprimis tum probe tenendum est, quum de iure disquiritur: *Principiis obsta!* Male dixit Benedictus noster et

tamquam principium posuit, „*ius uniuscuiusque eo usque se „extendere, quo usque eius potentia se extendat.*“ Posuit autem pessimum hoc principium non nisi propterea, quod, cum de *iure naturae* dissereret, naturam illam communem, res omnino omnes complectentem, non hanc propriam, ad hominem solummodo ratione praeditum pertinentem, intelligeret. Illa quidem ducit nos vinculis istis, quae poeta innuit notissimis verbis: *Trahit sua quemque voluptas;* haec vero altiorem rerum ordinem nobis ob oculos ponit, ubi *lex iusti et iniusti* tamquam norma aeterna actionum nostrarum ab omnibus sancte colenda est, qui dignitatis suae bene memores esse velint.

Sed haec hactenus. Accedamus iam ad id, cuius causa haec conscripsimus. Rediit nimirum festum illud tempus annuae creationis atque inaugurationis doctorum philosophiae et magistrorum artium liberalium. Qua quidem in solemnitate illud inprimis nobis curae cordique fuit, ut Vobis, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLUSTRISSIMI, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES PRAENOBILISSIMI ATQUE AESTUMATISSIMI, viros, quos ordo noster summis in philosophia honoribus dignos iudicavit, omni qua decet observantia nominaremus atque commendaremus.

Id autem fecimus eo lubentius, quo insignior fuit illa solemnitas nominibus duorum virorum, qui superstites adhuc sunt

ex illorum numero, quibus ante hos quinquaginta annos iidem honores ab Ordine nostro tribuebantur. Unus est

VIR EXCELLENTISSIMVS ET DOCTISSIMVS

CHRISTIANVS ERNESTVS WVENSCH

HOHENSTEINENSIS,

qui ab artibus mechanicis et mercenariis, qnibus iuvenis operam dare sorte infausta coactus erat, ad altiores et liberaliores artes tanto cum studio transiit, ut in Universitate Literarum, quae olim Francofurti ad Viadrum floruit, nunc autem Wratislaviam translata est, munere Professoris Publici Ordinarii summa cum laude fungi posset. Alter est

VIR REVERENDISSIMVS ET HVMANISSIMVS

ADOLPHVS FERDINANDVS GOLDAMMER

LIEBENWERDA SAXO,

qui florente aetate in hac Academia literis sacris strenue operam dedit, iam vero Grossenhainae Pastoris ac Superintendentis officiis ita satisfacit, ut de ecclesia non solum sed etiam de civitate quam optime mereatur. Est igitur, quod duobus illis viris et nobismet ipsis haec semisecularia gaudia summopere gratulemur, illisque simul placidam ac vegetam senectutem ex animo apprecemur.

Sunt autem hoc anno tabulis publice propositis philosophiae doctores et artium liberalium magistri creati ac denuo in nostro consessu renunciati

IMMANVEL GOTTLIEB SCHOENE

PRAEC. IN SCHOLA PVELLARVM SENAT. DRESD.

AEMILIVS IVLIVS MAVRITIVS WEGE

LAVBANENSIS

REV. MIN. CAND. ET CATECH. AD AED. D. PETRI

IOHANNES BENIAMIN TRAVGOTT HERRMANN

WEIGSDORFIO LVSATVS

REVER. MINIST. CANDIDATVS

IOHANNES GODOFREDVS HELD

RADGENDORFIO LVSATVS

REV. MIN. CAND. ET COLLAB. IN SCHOLA CIV. ZITTAV.

DANIEL LEBERECHT SOMMER

HARTMANNSDORFIO SILESIVS

IVRIS STVDIOSVS

GEORGIVS MARTINVS THEODORVS STRODTMANN

PREETZENA HOLSAT.

MED. ET CHIR. LICENTIATVS

CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHVMANN

GROSSLIEBRINGENA THVR.

REVER. MINIST. CANDIDATVS

FRANCISCVS XAVERIVS DYBEK

POSNANIENSIS

MED. ET CHIR. DOCTOR, CHIR. THEOR. ET PRACT. IN ACAD. VARSOV. PROF. P. O., SVPR. IN REGNO POLONIAE COLL. MED. A CONSILIIS ETC.

OTTO LINNAEVS ERDMANN

DRESDENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS

CAROLVS FRIDERICVS OBENAVF

WERDAVIENSIS

THEOLOGIAE CVLTOR

ERNESTVS IVLIVS WVENSCH

DRESDENSIS

REVER. MINIST. CANDIDATVS

GVILIELMVS FERDINANDVS THIENEMANN

KORENA ALTENBVRGICVS

THEOLOGIAE STVDIOSVS

IOHANNES CHRISTIANVS ELIAS SAVERTEIG

HILBERTOHVSA FRANC.

THEOLOGIAE STVDIOSVS

Deinde in ipso nostro conclavi creati sunt et renunciati more usitato

ALEXANDER FRIDERICVS GVSTAVVS ZEISSLER

LIPSIENSIS

THEOLOGIAE STVDIOSVS

ERNESTVS FRIDERICVS MAVRITIVS TOBIAS

NEVKIRCHA LVSATVS

THEOL. CAND. SCHOLAE CIVICAE LIPS. PRAECEPTOR AVXILIARIVS ET SOCIETATIS EXEGETICAE SODALIS

ERNESTVS HERMANNVS ROBERTVS DE ZOBEL

WIEDERAVIENSIS

REVER. MINIST. CANDIDATVS

GVILIELMVS AVGVSTVS MAVRITIVS HIRSCHOF

SACHSENDORFIO MISNICVS

THEOLOGIAE STVDIOSVS

GEORGIVS GOTTLOB KOCH

DREHBACO MONTANVS

REG. SEMINARII PHILOL. SODALIS

FRANCISCVS EDVARDVS RASCHIG

CADITIENSIS

THEOL. ET PHILOL. STVDIOSVS

FRIDERICVS AVGVSTVS DORN

WEIDANVS

STVDIOSVS IVRIS

CAROLVS GOTTHILF FRIDERICVS SCHVLZE

FRIBERGENSIS

STVDIOSVS THEOLOGIAE

EDVARDVS HERMANNVS VOLKMAR FICKER

WILSDRVFIENSIS

STVDIOSVS THEOLOGIAE

FRIDERICVS ALBERTVS HAASSE

DRESDENSIS

STVDIOSVS THEOLOGIAE

CAROLVS AVGVSTVS GEORGI

NVMBVRGENSIS

STVDIOSVS THEOLOGIAE

IOHANNES ALBERTVS BERNARDVS DORN

SCHEVERFELDA COBVRGICVS

STVDIOSVS THEOLOGIAE

FRANCISCVS VOLKMAR FRITZSCHE

BORNENSIS

COLLABORATOR IN SCHOLA THOMANA, REG. SEMINARII PHILOL. ET SOCIETATIS GRAECAE SODALIS

GVILIELMVS THEODORVS BRAVSE

TVTTENDORFIO MONTANVS

STVDIOSVS THEOLOGIAE

GEORGIVS NICOLAVS IOHANNES BVSCH

ROSTOCHIENSIS

REC. SEMINARII PHILOL. ET SOCIETATIS GRAECAE SODALIS.

Hos igitur Viros Clarissimos cum omnibus literarum fautoribus tum iis, qui Academiae et Ordini nostro bene cupiunt, commendatissimos esse volumus. P. P. in Universitate Literarum Lipsiensi Dominica Invocavit A. Ch. MDCCCXXV.